



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 8. S. Pauli Constantinopolitani Martyrium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. auditus est, se hanc victoriam magis Val-
 A. C. 351. lentis Episcopi apud Deum meritis, quam
 militum suorum robori in acceptis refer-
 re. Per hanc fraudem haud modice Arianorum crevit potentia. Ad Mursam pugnatum est vigesima octava Septembris hujus anni 351. completa victoria multo sanguine stetit. Magnentius alpes petens, in Galliam fugit, ubi secundo etiam prælio victus, Lugduni suo se gladio jugulavit, post annorum trium, de mediæ Regnum, annum agens vitæ ferme quinquagesimum. Decentius ejus frater, quem Cæsarem creaverat, fato ejus comperto, laqueo sibi gulam fregit; Hæc autem omnia demum mense Augusto A. 353. facta sunt.

§. VIII.

S. Pauli Constantinopolitani Martyrium.

Prospera armorum fors Arianorum animos ita inflavit, ut persecutionem in Episcopos Catholicos restaurare ausi sint, quam Constantis auctoritas ante represserat. Ursacius, & Valens ad vomitum rediere, palam, licet falso affirmantes, coactos se ad retractandum, idque Constantem Imperatorem adhibita vi a se extorsisse.

*Athan. ad**solit. p. 828.**Sup. l. XII.**n. 18.**Theod. II.**hist. c. 5.**Socrat. II.**c. 26.*

Primo

Primo omnium in S. Paulum Constan-
 tinopolitanum tempestas incubuit. EX A. C. 351.
 eo tempore, quo a Constantio Imperato-
 re anno 342 pulsus fuerat, sive Constan-
 tis favore fretus, sive alterius auxilio,
 Constantinopolim redierat, ibique man-
 sit tempore Concilii Sardicensis, quo il-
 lum proficisci populus, Episcopi sui
 amans, & insidias inimicorum ejus sciens,
 non permisit. Nunc autem Constantius,
 Antiochiæ existens, Philippo Prætorii
 Præfecto, Arianorum fautori, manda-
 vit, Paulo Ecclesia depulso, Macedonium
 induceret. Philippus timens, ne seditio
 moveretur, arte utendum credidit; clam
 habuit Cæsaris litteras, tum subiti nego-
 tii specie ad Thermas, quas Zeuxippes
 vocabant, se contulit primus, unde mi-
 sit ad Paulum, qui humane rogarent, ad
 Dominum eorum causa urgente veniret.
 Illico Paulus advenit, cui Præfectus Im-
 peratoris mandatum exhibet, Episcopus,
 quamvis sine causæ cognitione esset da-
 mnatus, promittit, se imperata factu-
 rum; interim, ut suspicax est populus,
 jam ingens multitudo balneum publicum
 circumdederat, hinc Philippi jussu, per-
 ruptis unius fenestræ cancellis, Paulus in
 Palatium transiit, unde præparato navi-
 gio impositus, quam promptissime pote-
 rat, in exilium abductus est.

Primo

Nn 4

Interea

Sæculum IV. Interea Philippus, thermis egressus,
 A. C. 351. recta versus Ecclesia vehebatur, habens
 in curru suo Macedonium, qui antea ne-
 mini visus, subito conspiciebatur. Pone
 subibant milites nudatis ensibus. Omnis
 populus, Catholici simul, & Ariani ad Ec-
 clesiam concurrunt, in ea occupanda par-
 tem adversam præversuri. Dum appro-
 pinquant Ecclesiæ, omnes, ne militibus
 quidem exceptis, fatalis timor incessit;
 tantusque erat concursus, ut Præfecto,
 & Macedonio omnis aditus præcludere-
 tur; milites propellere proximos cœpe-
 re, at populus condensatus loco cedere
 non poterat, tum milites obstinationi &
 consilio Macedonium cum Præfecto ab
 Ecclesia arcendi tribuentes, quod necessi-
 tatis erat, gladiis, quos tenebant, nuda-
 tis percutere cœperunt, ita factum, ut,
 si narrantibus fides, ultra tria hominum
 millia partim ferro, partim in tumultu
 suffocati interirent. Talis fuit Macedonii
 in Ecclesiam Constantinopolitanam in-
 gressus.

Athan. ad Paulus Episcopus catenis ferreis vin-
solit. p. 813. ctus primo Singaram in Mesopotamia, in-
 814. de Emesum, & tandem Cucufam in de-
Id. apol. p. fertis montis Tauri Cappadociæ, & Ar-
 703. meniaë confinibus translatus est, ibi eum
Theod. II. inimici loco angusto, & obscuro inclusum
 e. 5. sine omni ope humana relinquunt, cre-
 dentes, haud dubie fame moriturum;
 sed

sed post sex dierum spatium, cum adhuc spirantem invenissent, strangulant, sparguntque in vulgus, Paulum ex morbo decessisse. Philagrius Præfecti Prætorii Vicarius, qui tunc temporis ibi locorum morabatur, magnus Arianorum amicus, dolens forte, quod aliena potius, quam sua crudelitate occidisset, rem istam, ut peracta erat, multis narravit. Et S. Athanasius ab ipsis Arianis id se audivisse testatur. Ecclesia Latina S. Paulum Constantinopolitanum ut Martyrem honorat 7. Junii. Ecclesia Græca, ut Confessorem sexta Novembris. Obiit ad initium hujus anni 351. Philippum Præfectum, exilii ejus Auctorem, Divina ultio presso pede secuta est; nam, antequam integer annus volveretur, probro officio privatus ad sortem privatorum recidit, tum patria ejectus, percussorem suum in horas expectans miserime periit.

Sæculum IV.
A. C 351.

Martyr. 7.
Junii. Me-
mol. 6. Nov.

§. IX.

In Sanctum Athanasium calumniæ.

At neminem Catholicorum, ut S. Athanasium, tam pertinaci odio prosequerentur Ariani; eum in Ecclesia sua quiete agentem, & ultra quadringentis Episcopis communionem junctum videbant; Papa, tota Italia, Sicilia cum aliis Insulis, tota Africa, Gallia, Magna Britannia,

Athan. ad
solit p. 827.

Nn 5

Hispa-